

Ann. IV.

Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 $\frac{1}{2}$.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

III menses VIXX

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud BURNS AND OATES

IN ANGLIA

LONDON W.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr.

IN CANADA

Apud LIBRAIR E GRANGER FRÈRES

Typogr.

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

VARSIAE POLONORUM

Krakowskie Przedmiescie, 15

28, Orchard Street.

NEW YORK

52, Barclay Street.

CINCINNATI

436, Main Street.

RERUM INDEX

DE GRAECIS LITTERIS TUENDIS IN SCHOLIS SECUNDI ORDINIS	N. Capo.
DE "LEGENDA TRIUM SOCIORUM",	F. Ramorino.
CRUCIS HISTORIA	M. Armellini.
DE SIBYLIS	G. P.
INSANIENTIS SAPIENTIAE PLACITA	A. Cerasoli.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATITUDE	P. Angelini.
EX BATAVIA - De certamine poetico Hoeufftiano	G. B. Spruyt
COMMUNIA VITAE - De Paschalibus dapibus	H. D. V. Pieralice.
EX AMERICIS - De rebus civilibus varia	H. Doswald.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
NICOLAI MACHIAVELLI SENTENTIAE DE REGNI ADMINISTRIS	C. Dehò
LIBRORUM RECENSIO	P. A.
AENIGMATA	H. Guepin.

In tercia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Divinatio per chartas lusorias - A quo Americae nomen? - Quid de humano genere xxi ^o saeculo? - Tribus diebus Atlanticus prae- termisso - loci	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCCCI

COMMENTARI "VOX URBIS", INDICES SINGULI

XXIII num. ann. III.

Oeconomiae et socialis disciplinae progressus - I. TONIOLO.
De Iaponium poesi - I. ANTONELLI.
De septem versionibus latinis « Cassandrae » Schillerianae (Symbolum ad historiam poesos neolatinae) - F. PALATA.
Nigrarum commercium - P. ROSSANI.
Isleia virgo - P. GEPP.
Benvenuti Cellini natali die quarto post saeculo remante - A. COSTAGGINI.
De « siderostato » - P. A. M. ROVITTI.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Formicarum vivendi ratio microscopio perspecta - HERSILUS.
Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - G. P.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Quo perveniet electrides? - Flammiferi ubi plurimi conficiantur - Ioci - P. d. V.
Sociis monitum - A. SECRETIS.

XXIV num. ann. III.

De duplice litterarum certamine a commentario *Vox Urbis*.
Latinae Americae Madritensis coetus - P. ROSSANI.
De septem versionibus latinis « Cassandrae » Schillerianae (Symbolum ad historiam poesos neolatinae) - F. PALATA.
Fridericus Maximilianus Müller - A. COSTAGGINI.
In nocte Christi Natali puerorum lusus vernacula voce « Il ceppo » - M. RICCI.
De anno quo natus est Christus - P. A. M. ROVITTI.
De Bethleem urbe ac de « Crypta Nativitatis » - A. CRIVELLI.
Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - G. P. - C. PASCAL.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Pro elephantibus - A. L.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - A. B.
Aenigmata - A. MORCHIO.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Arbores celeberrimae - Exiguis libris bibliotheca ingens - Ioci - P. d. V. - I. BATTANII.
Epistolarum commercium - A. SECRETIS.

I num. ann. IV.

Kalendis Ianuarii MCM - Sociis, lectoribus Commentarii nostri humanissimis - *Vox Urbis*.
Novo ineunte saeculo - I. TONIOLO.
De Ausonio poeta - I. LEMETTE.
Iesu Christo Servatori Deo - A. CERASOLI.
Circa musicam animalia quid sentiant - P. ALEXIS.
Romuli et Remi pueritiae - LAELIUS.
De fama et longaevitate - M. LANI.
Pallas armipotens quam Botticellius retulit - FORFEX.
Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - G. P. - G. PASCAL.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Ex Americis - De ingenti rota « Ferris Wheel » nuncupata - H. DOSWALD.
Communia vitae - Vinea, vindemiae, et quae propter - H. D. V. PIERALICE.
Canum novissima officia - R. SPINA.
Annales - POPLICOLA.
Librorum recensio - A. B.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Rex florum - Turris ex cornibus - Aurum non aurum - Ioci - P. d. V.

II num. ann. IV.

De Gallorum reipublicae discrimine - P. ROSSANI.
Annus MCM - P. R.
De S. Isidori Pelusiota epistulis - N. CAPO.
Suffragia apud maiores ad gerendam rem publicam - SENIOR.
Montium Pistoriensium laudes - M. RICCI.
De Pistorio urbe clarissima - A. BARTOLI.
Reliquiae « S. Mariae Antiquae » in Foro repertae - ROMANUS.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - C. PASCAL.
Ex Americis - De Americano gratiarum die - H. DOSWALD.
Quaestiones inter socios propositae - De anno quo Christus natus est - M. DOS.
Titulus Kassala apud Derviscos in honorem italorum militum nuperrime positus - F. RAMORINO.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Nicolai Machiavelli sententiae de legibus - C. DEHÖ.
Aenigmata - F. PALATA.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Priusquam incipias, consulto - Sinensium deliciae - Ioci - P. d. V.

III num. ann. IV.

XIX saeculi civiles eventus - P. R.
De communi omnibus eloquio constituendo - SENIOR.
Ex Gallia - Latinae humanitatis triumphus - L. P. MICROVIR.
Dominicus Cimarosa - I. ANTONELLI.
Cosacorum exercitationes et ludi - A. COSTAGGINI.
An. Christ. M DCCC pridie kalendas Ianuarias a Iesu Christo ineuntis saeculi auspicia - LEO PP. XIII.
Horae subsecivae - Sub icona S. Caeciliae a Raphaelae Urbinate depicta - De Senu decori - I. BATTANII.
Romani Fori monumenta novissime reperta - FORFEX.
Cuinam Urbis incendium tribuendum quod Nero-nianum dicitur - G. P.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Mirabilia caeli - P. A. M. ROVITTI.
Annales - POPLICOLA.
Victoria Regina, Imperatrix - P. ROSSANI.
Iosephus Verdi - Vox Urbis.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. A.
Aenigmata - F. PALATA.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Litterarum opus immane - Ubi primum locutio currus omnibus pervii? - Ioci - P. d. V.
Sociis monitum - A. SECRETIS.

IV num. ann. IV.

Iosephus Verdi - I. ANTONELLI.
De communi omnibus gentibus eloquio constituendo - N. CAPO.
De prima Christianorum persecutione deque epistula quadam Pseudoseneae iniuria neglecta - F. RAMORINO.
Anglorum monumenta - LAELIUS.
Pro Brutis - R. PANCARO.
Novae Summi Pontificis litterae de « Quaestione sociali » - FORFEX.
Chronologia Christi Domini - P. A. M. ROVITTI.
Horae subsecivae - In pueruli mortem matris lamentatio - A. GALIERO.
Communia vitae - Per aequam glaciem abeundi ratio - H. D. V. PIERALICE.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - H. P.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Recensiones singulares - Nosocomium novi generis constitutum - Ioci - P. d. V.
Sociis monitum - A. SECRETIS.

V num. ann. IV.

De litterarum certamine a commentario *Vox Urbis* indicto iudicium sententiae:
I. - F. RAMORINO.
II. - P. ANGELINI.
III. - A. CIMA.
Poetarum mixta aerumnis gaudia - FR. X. REUSS.
De « Christiana democratis » - P. ROSSANI.
Senatus et popularium oratorum aedes Vindobonae - FORFEX.
Ex Germania - De populari quadam Germanica Societate - P. ALT.
Lympha in variolas pueri ingesta - LAELIUS.
Böklin pictor - G. P.
Quaestiones inter socios propositae - De una eadem que apud omnes pronuntiatione latina - A. SORDET.
De statuta hominis - M. LANI.
Communia vitae - Per aequam glaciem abeundi ratio - H. D. V. PIERALICE.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - I. CASTELLI.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: De Sinensi « Encyclopedia » - Nullane in posterum aquarum Victoria? - Ioci - P. d. V.

VI num. ann. IV.

Leoni XIII P. M. - A. CERASOLI.
Ex Europaeorum foedere publica futura commoda - P. ROSSANI.
Crucis historia - (ex ineditis) M. ARMELLINI.
De popularibus athenaeis - I. ANTONELLI.
Circa musicam animalia quid sentiant - P. ALEXIS.
Novus e Societate Iesu commenticiarum fabularum auctor - SENIOR.
Ex Americis - De cataractarum Niagarensium hieme - H. DOSWALD.
De sapientum inventis nonnulla - M. LANI.
Communia vitae - Per aequam glaciem abeundi ratio - H. D. V. PIERALICE.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Horae subsecivae:
Monti Regali vale dicens - I. SOLA.
Ad Sanctam Ritam a Cassia vulnus Spinae
D. N. I. C. in media fronte referentem - I. ROSATI.
De Petro et uxore eius - I. BATTANII.
Vita functi viri clariores - I. F.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - P. A. - H. P.
Aenigmata - F. PALATA.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Utilissime terraemotus? - Quid colligatur in persecutione digitorum - Nasus Cyclope dignus - Disciplorum respublica - Quae apud Iaponenses - Ioci - P. d. V.

VII num. ann. IV.

De opificum desertionibus - P. ROSSANI.
De saeculo xix iudicium - SENIOR.
Litterarum hominum aerumnae et gaudia - A. BARTOLI.
Crucis historia - (ex ineditis) M. ARMELLINI.
Biblicae antiquitatis vestigationes novissimae - G. P.
Christus homo a triumpho ad sepulcrum - LAELIUS.
De librorum commercio apud Romanos - D. TAMILIA.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Ex Rumenia - B. ATHANASIUS.
Communia vitae - De Paschalibus dapibus - H. DE VECCHI - PIERALICE.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. F.
Aenigmata - I. BATTANII.

In tertia operculi pagina:
Per orbem - VIATOR.
Varia: Automobile anfibium - Novum ignis lucisque genus - Num in luce vita? - Arcana lacuum coniuncta - Ioci - P. d. V.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE GRAECIS LITTERIS TUENDIS IN SCHOLIS SECUNDI ORDINIS

SEXCENTIES iam apud nos agitata quaestio de graecae linguae studio in scholis secundi ordinis penitus abrogando, sexcenti iam immutandae studiorum rationis conatus propositi, at semper in contrarias sententias distracti animi, ut adhuc sub iudice lis sit. Nunc vero Homeri iucundissima lingua in summo versatur discriminis; adversus eam in Gallia et in Italia magnus clamor fremitusque, quippe quae, inutilis sarcina, noceat potiusquam prosit adulescentium animis excolendis. Neque satis sunt qui, sermonum studio adducti in ore hominum hodie latorum, eo amentiae pervenerint, ut latinam quoque linguam abolendam censeant, scilicet magnitudinem illam aspernantes pacis et belli artibus a maioribus nostris acquisitam et nobis velut haereditate relictam, gloriam nominis obliti quae toto terrarum orbe refusit itemque admirabilem rerum civilium sapientiam, praecellarissima virtutum exempla, quorum memoria tantum ad optima quaque perficienda omnium semper incendit animos. Ad hos quidem refellendos qui non sentiant humanitatem et cultum nostrorum temporum (ut verbis utar Iosephi Giusti in epist. ad M. Tabarrinum iam in num. XVII anni III commentarii nostri latine allatis) esse quasi surculos ramosque arbori veteris cultus et humanitatis insertos atque huius vi nutritos atque crescentes, nihil amplius dicendum existimo: ad eos igitur redeam qui graecitatem omnino petunt telis. Atque utinam omnes illi, qui in re tanti momenti sententiam prouant, docti essent graecarum litterarum neque earum rudes, quod ignorarunt heri, hodie commode in inviam vocarent!

Multi laboris esse affirmant graecae linguae studium, latinae difficultius idemque minime utile; sed qui haec proferunt neque summam utriusque orationis cognitionem habere videntur, neque ullam aut certe adumbratam opinionem antiquitatis praeseferunt. Inter omnes enim constat cultum antiquitatis nobiliorem et, ut ita dicam, humaniorem Romae non floruisse, sed « Graeciam captam ferum cepisse victorem et artes intulisse agresti Latio ». Ex quo igitur graecae artis splendor Romanorum civitati illuxit, graeca cum latinis perpetuo quadam vinculo coniuncta esse videntur. Quae quidem ad unum conspirant adulescentibus integrum praebendo notitiam hominum coniunctionis et societatis cum simplicioris tum magis ipsorum mentibus animisque accommodatae, qua plenius uberioriusque efficiatur studium, quod certe ad litteras historiamque pertinet, temporum et gentium ad nos propius accendentium. Quid graecarum litterarum prosit studium aperte declarat Cicero, qui « ad suam utilitatem graeca semper cum latinis coniunxit » (1), qui « poëmata graeca eruditionem liberaliter et doctrinam putavit » (2) et graecis litteris

puerorum mentes « ad humanitatem fingi atque virtutem » (1) affirmavit, eorumque ingenia ab his « si modo aliquid, paullum acui et tamquam irritari, quo facilius possint maiora discere » (2).

Eum igitur sequamur ducem et graecas colamus litteras, si volumus elegantiae amorem cultumque alere, qui praecellarissimos aetatis nostrae viros, ut Byron, ut Gladstone, in admirationem rapuit et optimi cuiusque, quasi aequa tempes, recreat animum, severioribus fatigatum disciplinis.

Pares sint in utriusque orationis facultate non solum qui humanis litteris operam navare cupiunt, sed etiam qui causarum patroni, medicae artis periti futuri sunt, quicumque denique optimam civitatis partem sunt effecturi, ut et patrium sermonem latini graecique adhibito subsidio longe melius discant et ipsorum emollientur mores, expoliantur ac confirmantur animi ad vitae asperum certamen fortiter ineundum, decore sustinendum.

Scio quidem Alligherium et Manzonium graecarum rudes litterarum fulgida patriae nostrae lumina extitisse; at de felicissimis et singularibus quibusdam ingeniis non hic quaestio. Quid potius commemorem praeclarum illum ordinem maiorum nostrorum, qui sex ante saeculis incredibili animi inflammatione et quodam afflato quasi furoris antiquitatis studia prosecuti, nascentes nostras litteras praevalidas effecerunt, ut decimum quintum saeculum aureum appellari possit? Cuinam tandem probetur antiquitatis studia, quae tota nostra esse deberent, apud exteris gentes incredibili amore coli, ut tenuioris etiam generis virum pudeat eorumdem esse expertem, apud nos contra quoquo modo moliri ut omnino aboleantur?

N. CAPO.

DE LEGENDA TRIUM SOCIORUM

Epistola Felicis Ramorino ad N. N.

N. N. adolescenti optimae spei F. Ramorino s. p. d.

VERBIS tibi dicere non possum, optime mihique amicissime adulescens, quam magna laetitia afficiar quoties mecum recogito studium illud et quasi ardorem amoris quo te dudum in res Franciscanas flagrare video. Non solum vitam beati Francisci a doctissimis viris conscriptam cupide legisti et per voluntasti, sed omnem memoriam ad illum et priscos eius discipulos et Ordinem fratrum minorum pertinentem video te diligenter colligere nec non diurna nocturnaque manu versare, scripta authentica et germana ab adulterinis secerne, te denique totum his litteris abdidisse; quod autem longe maius est et melius, iam Sancti Assisiatis imaginem in pectore gestas, eamque studio foves, imitando colis; unde urbani mores existunt, et odor quidam ex bonitate suavis-

simus; ita ut ad te quoque referri liceat id quod Dantes Aligherius de efficacitate Franciscani exempli ait:

*La lor concordia e i lor lieti sembianti
(nempe Francisci et Paupertatis),
Amore e meraviglia e dolce sguardo
Faceano esser cagion d' pensier santi.*

(Par. XI, 76-78).

Quod cum videam ego amantissimus tui qui non laeter? Gaudio qui non exsultem? Qui non libentissime tuam cognoscendi cupiditatem explore quantum in me est nitar? Noli igitur timere ne horas tecum disserendo consumtas ut temporis iacturam habeam; quin lucro appono quicquid otii vel negotii mei aut erudiendo adolescenti, aut amici desiderio satiando inservit.

Dicebas igitur candideque fatebaris, amice mi, te in angustiis esse propterea quod pulcherrimam illam narrationem quam *Legendam trium Sociorum* nuncupant, et inter vetustiora et germana Franciscanae memoriae monumenta usque ad hoc tempus recensebant, nuper nonnulli, harum rerum periti, acerrime insectati essent, demonstraturi, non anno decimiertii saeculi xlvi, ut ferebatur, neque a tribus illis celeberrimis Francisci sociis compositam esse, sed multo post, sub finem demum eius saeculi, vel etiam saeculo insequenti ex multis variorum frustis non bene fuisse consarcinatam. Qua de re quid sentiendum sit ex me quaequivisti.

De hoc argumento perquam difficili non sine audacia equidem tractare aggredior; non sum enim in his studiis ita versatus, ut opus est illi qui velit de iis cum auctoritate loqui; sed durum videbatur negare tibi iusta petenti et praeclera cupienti. Ceterum cum multi nuper de trium Sociorum Legenda scripserint, praesertim S. Minocchi in *Archivio storico italiano*, 1899, p. 249; 1900, p. 116 et sqq., Van Ortry S. I. in *Analectis Bollandianis*, t. XIX, p. 119, Paulus Sabatier tum aliis locis tum Van Ortry sententiam refutaturus in *Revue historique*, t. LXXV, anno 1901, denique Leonardus Lemmens O. F. M. in *Prolegomenis libri quo scripta fratris Leonis edidit (Documenta antiqua Franciscana*, pars I, ad Claras Aquas, 1901), cum, inquam, tot viri docti tam diligenter trium Sociorum Legenda curas dederint, his subsidiis instructus non dubitabo opinionem meam tibi aperire.

Ante omnia in memoriam revoca, amice mi, totam quaestionem de trium Sociorum Legenda ex comparatione eius cum epistola ad fratrem Crescentium, quae in codicibus plerumque praemissa legitur, pendere. Nimur in hac epistola quam frater Leo, frater Rufinus ac frater Angelus anno 1246 Graecii scripserunt, mentione facta de mandato Capituli generalis anno 1244 habiti quo fratres Minores iussi erant signa et prodigia beatissimi patris Francisci quae sciri vel reperiri possent ad fratrem Crescentium ministrum generalem dirigere, tres illi Fran-

(1) Cfr. *De Offic.* I, 1, 1. (2) Cfr. *Tusc.* II, xi, 27.(1) Cfr. *De Orat.* III, xv, 58. (2) Cfr. *De reb.* I, xviii, 30.

cisci socii pollicebant pauca de multis ipsius gestis, quae per se vidissent, vel per alios sanctos fratres scire potuissent, narraturos se esse, non contentos solum «miracula narrare quae sanctitatem non faciunt sed ostendunt, sed etiam sanctae conversationis eius insignia et pii beneplaciti voluntatem ostendere cupientes ad laudem et gloriam summi Dei et dicti patris sanctissimi atque aedificationem volentium eius vestigia imitari». Aiebant se haec non «per modum legendae» scripsisse, cum dudum de vita et miraculis Francisci confectae essent *legenda*; sed velut de amoeno prato quosdam flores pulchiores excerptissime, non continuatam historiam sequentes, sed multa seriose relinquentes quae in praedictis *legendis* essent posita tam veridico quam luculento sermone; quae ipsi scripsissent posse in vulgatis iam *legendis* inseri, credere se enim, si ea nota fuissent eis viris qui huiusmodi *legendas* conferant, minime praeterituros fuisse, quin saltem pro parte suo eloquio decorarent. Hanc epistolam qui cum octodecim capitulis unde *Legenda trium Sociorum* quae dicitur constat, contulerunt, illis statim in promptu fuit, brevem eam narrationem, quamquam non spernendam, haud tamen epistolae dedicatoriae respondere, nec tanto promissi biatu esse dignam; nam praeterquamquod multa ex parte usque ad singula verba repetit primam Celenensis vitam, admodum paucas novas res habere quae ad vitam et *conventus* Francisci pertineant, praesertim de novissimis eius annis a 1210 ad 1226 nimis paucas notitias praebere fere nullius pretii: praeterea contra id quod in epistola dedicatoria dicitur, omnia ibi secundum temporum ordinem composita esse. De hac re, adolescens mihi carissime, non est quod dubites. Habet profecto in hac octodecim capitum narratione multa probanda, quae te propter venustam simplicitatem et candorem quandam stili merito allicant atque delectent; sed ea ita composita sunt ut non bene respondeant epistulae trium Sociorum quae iis praemittitur. Quomodo igitur hanc enodabis difficultatem?

Ut scis, doctorum virorum sententiae de hac re in diversa abierunt. Nam Paulus Sabatier, vir de Franciscanis litteris optime meritus, in hanc opinionem venit, octodecim capitum Legendarum re vera a tribus Francisci sociis scriptam esse, sed eam non integrum ad nos pervenisse, verum quattuor ferme partibus laceram ac deminutam, non autem desperandum esse quin integra Legenda trium Soc. aliquando reperiatur. Cui sententiae cum multi suffragati sunt, tum praesertim rev. PP. Marcellinus da Civezza et Theophilus Dominichelli O. F. M., qui cum in vetere quadam libro a Stanislao Melchiorri anno 1855 edito pleniorum narrationem earumdem rerum invenissent, integrum trium Sociorum legendarum se repperisse rati, eam Romae iterum vulgarunt anno 1899. Sed ea res haud ferme suffragia doctorum virorum habuit; quin etiam nonnulli exinde extiterunt, qui octodecim capitum narratione diligenter perpensa, eam tribus Francisci sociis ab iudicare non dubitarunt. Horum primus numerandus est S. Minocchi Florentinus, vir cum acerrimi ingenii tum multae et exquisitiae doctrinae; qui in commentationibus duabus, quas in *Archivio storico italiano* edidit annis 1899 et 1900, id demonstrandum suscepit: a) opinionem Pauli Sabatier de lacunis Legendarum trium Soc. non esse probandam: neque enim indicium eius rei esse in plurimis codicibus ubi ea Legenda continetur; id opus autem unitate quadam et apta compositione esse praeditum, ita ut nullis lacunis locum dare possit; b) falso hanc narrationem *Legendarum trium So-*

ciorum appellatam esse, neque eam fratrem Leonem eiusque socios autores habuisse, quod confirmari ait tum ex nulla Legendarum consensione cum epistola a tribus sociis vere conscripta, tum ex niniis laudibus ibi dati Ostiensi cardinali, post pontifici Gregorio IX, qui cum fratribus Heliae patronus existisset, nimis placere Leoni ceterisque asperioris Regulæ autoribus non posset; c) denique veram Legendarum trium Sociorum, id est narrationem de Francisci vita a Leone, Angelo et Rufino conscriptam et ad Crescentium anno 1246 missam in alio illo celeberrimo rerum Franciscanarum monumento querendam esse quod appellatur *Speculum perfectionis*, praesertim in iis *Speculi* partibus quae simplicitatem narrandi praeseferant, nequedum indicium ullum habeant earum contentionum inter *Conventuales* et *Spirituales*, quarum plena sunt posteriores Minorum fratrum scriptiones. Contra suspicatus est Minocchi Legendarum falso tribus sociis tributam auctorem habuisse Ioannem de Ceperano, notarium apostolicum, qui eam iussu Gregorii IX conscripserit.

Vides, amice mi, quam audacter et ingeniouse everttere Minocchi conatus sit superiorum opinione, vestigiis omnino suis insistens. Quem brevi temporis spatio secutus, Franciscus Van Ortroy, inter doctos Bollandistas Belgas doctissimus, in campum descendit criticis telis armatus, ut ipse quoque contra Legendarum trium Soc. acerrime infensus pugnaret. Eius dissertatio in *Analectis Bollandianis* tomo XIX, a. 1900 prodiit. Cuius summa haec est. Legendarum nostram non laceram ac deformatam, sed integrum ad nos pervenisse, ut codicum testimonio probatur: certum temporis quibusdam erroribus vitiata esse et cum ceteris Franciscanarum litterarum monumentis saeculo XIII exaratis comparatam senioris originis indicia certissima praebere; quod ex eo confirmari ait, quod de illa Legenda nemo locutus sit interscriptores eius saeculi, nec eius mentio iniiciatur, nisi in Chronicis XXIV Generalium et in Bartholomei Pisani *Conformatibus*; ex hisce colligi, narratunculam, de qua nobis sermo est, nequaquam Leonis, Angelii et Rufini stilo profectam esse, sed novissimis saeculi XIII annis ab incepto quodam ex variorum frustis fuisse consarcinatum. Quid vis, amice? Crudelis Bollandista ne in stili quidem simplicitate et sanctitatis odore admodum baesitavit; criticae artis gladio armatus non dubitavit percutere, caedere, everttere. Utrum ea res prospere ei cesserit necne, infra videbimus. Nunc pergam te monere, ad agmen eorum qui Legendarum trium Sociorum infensius adversati sunt nuperime accessisse etiam Leonardum Lemmens; qui, inventis in quibusdam codicibus archivi S. Isidori de Urbe genuinis, ut videtur, fratris Leonis operibus, inter quae est Vita beati fratris Aegidii, et Franciscanae Regulæ intentio declarata, et verba quaedam S. P. Francisci, cum nonnihil quae in his operibus dicuntur a Legenda trium Sociorum differre videantur, opinionem Vanortroianam de seriore opusculi nostri origine complexus est; quin non solum in novissimos saeculi XIII annos ut Van Ortroy, sed in XIV saeculum Legendarum compositionem detrudere non dubitavit. His omnibus opponi licet nuperim commentationem Pauli Sabatier in *Revue historique* editam, quam supra memoravi, ubi validissimas argumentis censureae Vanortroianae repugnatur.

In tota hac re magnum momentum habent errores illi temporum sive anachronismi in quos auctor Legendarum lapsus esse dicitur; quod si ita esset, profecto longe a Francisci aetate vixisse dicendum. Iuvat singulos breviter memorare:

A) Primum animadvertis Van Ortroy, verba

trium sociorum de Regula ab Innocentio III anno 1210 confirmanda «quam scriperat (Franciscus) verbis simplicibus utens sermonibus Sancti Evangelii» (§ 51) haud ferme conciliari posse cum notitia ab aliis data (v. *Chronic. Iordanii de Iano*, 1262, in *Annal. Francisc.* t. I, p. 5-6), fratri demum Caesario Spirensi, circa annum 1220, a Francisco commissum esse ut «Regulam... verbis Evangelii adornaret»; praesertim cum alio loco, ubi agitur de Bernardi conversione, eadem Legenda expressis verbis dicat, simplices fuisse tunc Franciscum et socios eius, et nescivisse «invenire verbum Evangelii de renuntiatione saeculi». At, cum bona venia doctissimi Bollandistae, quod Caesarius Spirensis Regulam posteriore sententia ex Evangelio depromptis inspersit, id minime impedit quominus auctor prioris Regulæ passim verbis Sancti Evangelii in ea conscribenda usus sit. Nonne idem asserit, prope iisdem verbis, Thomas Celenensis in priore Vita? Et si alio loco dicuntur fratres, cum ageretur de conversione Bernardi, in prima aperitione Evangelii Domini voluntatem indagasse, num inde concludere licet, Franciscum adeo ignorasse Evangelium, ut non Regulam suam verbis eius formare valeret? Nonne in promptu est, amice mi, huiusmodi argumentum omni vi esse destitutum? Sed addit Van Ortroy, verba quae leguntur in § 52 post approbatam ab Innocentio III priorem Regulam: «his ergo concessis, b. Franciscus gratias egit Deo; et genibus flexis promisit Domino Papae oboedientiam et reverentiam humiliiter et devote; alii autem fratres secundum praeceptum Domini Papae b. Fr.° similiter oboedientiam et reverentiam promiserunt», haec novissima verba ducta esse ex altera Regula, quam Honorius III anno demum 1223 confirmavit, ubi scriptum erat: «alii fratres teneantur Fr. Franciscus et eius successoribus oboedire»; perperam igitur Legendarum consarcinatorem res tempore disiectas confusse. At non erat narratoris consilium hic prioris Regulæ ipsissima verba referre; narrabat ille quod re vera peractum est, nempe post approbatam ab Innocentio Regulam, ei oboedientiam promisisse Franciscum, et alios fratres pariter oboedientiam Franciscus promisisse ut Papa iusserat. Quid huc pertinent Honorianae verba posterioris Regulæ? Cur ita res miscentur ut turbae fiant? Sane non est ita veterum monumentorum censura exercenda ut occulta veritas detegatur. Sed ad aliam rem transeamus.

B) Scriptum est in Legendarum § 24 gloriosam institutionem pauperum Dominarum et Virginum S. Damiani a Domino Papa Gregorio, tunc temporis Ostiensi episcopo, auctoritate Sedis Apostolicae fuisse plenius confirmatam. En temporis errorem gravissimum! ait Van Ortroy. Confirmatio enim Apostolicae Sedis non data est nisi anno 1253 ab Innocentio IV; huiusmodi error Leoni nequaquam tribui potest. Respondit Sabatier auctoritatis apostolicae confirmationem de qua hic sermo est, iam datam esse inde ab anno 1219 ab Honorio III bulla «Sacro-sancta Romana Ecclesia»; et postea Innocentium IV encyclica «Solet annuere» die XIII nov. mensis anno 1245 data, rursus auctoritate apostolica confirmasse Regulam et formam vivendi quam «felic. recordationis Gregorius Papa, tunc Ostiensis episcopus», annotatam tradiderat. Optime igitur poterant anno 1246 ea verba scribi, quae iniuria Van Ortroy reprobavit.

C) Narrat Legenda § 62, cum fratres Minores in provincias, praesertim in Alemaniam, Hungariam etc. ad praedicandum profecti, pessime accepti essent et plurimas tribulationes perpessi, propterea quod Innocentius III, licet eorum Regulam approbasset, non

tamen hoc suis dinalem protecisco compositum et eam bulla per errorem insidiorum III bulla iam ante annis per epistolam cognigne exciperet Lemmens (cfr. dem assentior anni 1223 serm laudato, sed data die XI Iun scopis et Episcopis et aliis Eccl. tres Minores, quos esset, praedicantenerent. Quamque anni 1223, de q.

Di secon
Fu per
La santa

tamen multo cum demonstravit Sal fratribus litteras eorum vita apostoli

D) Restat quod Bollandista Legatio eo positus est, que cisco institutis locum quilibet tempore matus; atqui te Nicolao IV, anno fuit, ut alter Ordinatem acceperat, anno 1223 ab Honifesto colligi ait post annum 1289. Hic enim non de sermo est, hoc es ligio Franciscana mentis cum laude Sabatier felicissimus

His omnibus quid conclusas licet landistae rem cesse quos in Legenda quendam hendisse sibi visus nione ductum nimirum illam simpliciter

Audio quid de erroribus de quibus constat sibi Van Ortroy ostendit quis a fratribus exentis saeculi parativam tabulam t. XIX exhibitam manifestissime, auctio priore Vita Thomae psisse et nonnulla sententias, locum lanensis Vita, ex libro Bernardi (1275), ex Vita Beatae nichil XXIV Generalium rivasse? «Adagio et lorum proverbio regno anno 1246 scribens

tio III anno 1210
inciscus) verbis
vangelii» (§ 51)
itia ab aliis data
Annal. Francisc.
Spirensi, circa
m esse ut « Re-
et»; praesertim
di conversione,
dicat, simplices
us, et nescivisse
nuntiatione sae-
ni Bollandistae,
posteriorem sen-
ersit, id minime
ulae passim ver-
benda usus sit.
verbis, Thomas
o loco dicuntur
ne Bernardi, in
voluntatem inda-
franciscum adeo
lam suam verbis
omptu est, amice
esse destitutum?
leguntur in § 52
iore Regulam:
gratias egit Deo;
Papae oboedien-
tive; alii autem
ini Papae b. Fr.
n promiserunt»,
x altera Regula,
223 confirmavit,
antur Fr. Franci-
perperam igitur
ore disiectas con-
silium hic prioris
rrabat ille quod
approbatam ab
promissoe Fran-
cidentiam Franci-
id huc pertinent
ae? Cur ita res
est ita veterum
occulta veritas
imus.

24 gloriosam in-
Virginum S. Da-
tunc temporis
apostolicae fuisse
errorem gravis-
o enim Aposto-
253 ab Innocen-
equaque tribui
atis apostolicae
est, iam datam
II bulla « Sacro-
Innocentium IV
nov. mensis
apostolica confir-
quam « felic. re-
Ostiensis episco-
igitur poterant
ia Van Ortry

tres Mores in
Hungariam etc.
cepti essent et
terea quod In-
probasset, non

tamen hoc suis litteris confirmavisset, Hugolinum car-
dinalem protectorem Ordinis alliam Regulam a Fran-
cisco compositam ad Papam Honorium III detulisse
et eam bulla pendente confirmandam curasse. Hic
errorem insidere ait Van Ortry, quia haec Ho-
norii III bulla non data sit nisi anno 1223, et tamen
iam antea annis 1219 et 1220 Summum Pontificem
per epistolas consuluisse, ut fratres in provinciis be-
nigne exciperentur. Huic censurae suffragatus est
Lemmens (cfr. Praefationis p. 24 et sqq.). Sed equi-
dem assentior Sabatier affirmanti, non de bulla
 anni 1223 sermonem esse in loco Legendae supra
laudato, sed de encyclica « Quum dilecti » Reate
data die xi Iunii mensis anno 1219, qua Archiepi-
scopis et Episcopis, Abbatibus, Decanis, Archidiaco-
nis et aliis Ecclesiarum Praelatis mandabatur ut fra-
tres Minores, quorum vitae via ab Ecclesia probata
esset, praedicationem suam in provinciis exequi si-
nerent. Quamquam sollemnior fuit bulla posterior
anni 1223, de qua Dantes:

*Di seconda corona redimita
Fu per Onorio dell'eterno spirto
La santa voglia d'esto archimandrita*

(Par. XI, 97-99),

tamen multo cum ingenii acumine et veritatis sensu
demonstravit Sabatier, longe maioris momenti fuisse
fratribus litteras anni 1219, quibus tam apertis verbis
eorum vita apostolica approbatione ornata fuerat.

D) Restat quartus quidam error a Bruxellensi
Bollandista Legendae auctori exprobratus, isque in
eo positus est, quod ille de tribus Ordinibus a S. Fran-
cisco institutis locutus dixerit: « quorum Ordinum
quilibet tempore suo fuit a Summo Pontifice confir-
matus »; atqui tertius Ordo poenitentium non nisi a
Nicolao IV, anno demum 1289, confirmatus litteris
fuit, ut alter Ordo S. Clarae bulla anni 1253 auctori-
tatem acceperat, et primus, ut supra dictum est,
anno 1223 ab Honorio III fuerat probatus. Hinc mani-
festo colligi ait vir doctus, nostri libelli auctorem
post annum 1289 scripsisse. Sed perperam, amice mi.
Hic enim non de pluribus Pontificibus, sed de uno
sermo est, hoc est de Honorio III, a quo triplex re-
ligio Franciscana plus semel iam litterarum monu-
mentis cum laude et approbatione memorata erat, ut
Sabatier felicissime ostendit.

His omnibus perpensis, lectissime adolescens,
quid concludas licet, nisi non bene doctissimo Bol-
landistae rem cessisse in demonstratione errorum,
quos in Legenda quae dicitur trium Sociorum depre-
hendisse sibi visus est? Et fortasse praeiudicata opini-
one ductum nimis adunco naso suspendisse narra-
tionem illam simplicem et indoctam?

Audio quid dicant adversarii; vel posthabitis
erroribus de quibus hactenus sermo fuit, non minus
constat sibi Van Ortry sententia, singulos locos
ostendentis quos auctor Legendae ex variis aucto-
ribus exeuntis saeculi XIII deprompsit. Nam com-
parativam tabulam ab eo p. 142-157 *Analectorum*
XIX exhibitam vel cursim legenti, nonne patet
manifestissime, auctorem Legendae non solum e
priore Vita Thomae Celanensis integra capita sum-
psisse et nonnulla etiam ex historia Iuliani Spirensis,
sed sententias, locutiones, verba passim ex altera Ce-
lanensis Vita, ex utraque Legenda S. Bonaventurae,
ex libro Bernardi Bessensis de laudibus b. Francisci
(1275), ex Vita Bernardi et Aegidii quales in Chro-
nicis XXIV Generalium leguntur, in rem suam de-
rivasse? « *Adagio ai ma' passi* » equidem vetere Ita-
lorum proverbio respondebo. Quod Legendae auctor
anno 1246 scribens ex vetustiore Celanensis Vita nec

non ex Iuliani Spirensis historia, quarum utraque an-
tea conscripta erat, multa hauserit, id aequum et par-
est, neque est in quaestione; sed quis adseverabit
eum ceteris quoque libris supra memoratis ut fon-
tibus usum esse, cum contra fieri possit ut Legen-
dam ceteri in usum vocarint? Rem ita profecto sese
habere demonstrat totius Legendae indoles atque na-
tura, quae simplex est et eundem ubique colorem
servat, et omnibus partibus sibi optimè constat; quod
haud fieri posset si a falsario et inepto ex disiectis
frustis consarcinata esset. Praesertim magni mo-
menti esse videtur id quod Minocchi et Sabatier
animadverterunt, narrationes quasdam in Legenda
naturale pree se ferre rationem et a rebus huma-
nis adhuc non alienas esse, quas posteriores, ut solet,
fictis miraculis inspersere. Quale est responsum a
Francisci matre datum mulieribus convicinis cum de
prodigalitate eius sermo esset; quod quidem in Le-
genda nostra his verbis refertur: « Quid de meo
filio putatis? Adhuc erit filius Dei per gratiam ».
Quid simplicius et naturae convenientius quam haec
verba matris sperantis fore ut filius suus ad bonam
frugem aliquando redeat et per gratiam filius adhuc
Dei fiat? Celanensis contra in altera Vita ita verba
matris effingit: « Quid putatis filius meus erit? Mu-
ltorum gratia Dei filiorum patrem ipsum noveritis
affuturum ». Habes hic matrem ex prodigalitate et
vanitate filii mira quadam divinatione vaticinante
eum patrem futurum multorum filiorum. Quis non
agnoscit rem hic opinionis commento deformatam
atque detortam? Quis dubitabit, ultra scriptura antiquior sit et verior?

Pro certo habeo igitur, ut totam disputationem
in breve compendium redigam, iniuria oppugnatam
esse Legendam nostram ut multis erroribus inquina-
tam et ab inepto falsario male consarcinatam; contra
aio eam ad illud tempus pertinere quo tres Fran-
cisci socii notitias de rebus ab eo gestis colligere
cooperunt et conscribere; illud in quaestione relin-
quitur, num Legenda nostra vere a tribus sociis con-
scripta sit. Negat Minocchi, ut vidimus, eam tribuens
Ioanni de Ceperano; negat Lemmens qui ait Vitam
Aegidii, vere Leonianam, nonnulla exhibere a nar-
ratione nostra diversa, non posse igitur eiusdem
esse auctoris. Quamquam horum virorum argumen-
tis non multum tribuo, quod in praesens verbis
explanare omittam, tamen fateor eam rem non satis
mihi liquere. Video enim cum epistola trium socio-
rum Legendam nostram, quam integrum esse codi-
cum testimonium probat, non convenire; et tamen
eum narrationis colorem pree se ferre qualis ex stilo
Leonis oriri poterat. Ceterum sub iudice adhuc lis-
est. Ait Lemmens repperisse se in codice quodam
archivi S. Isidori de Urbe *Speculum perfectionis* forma
textuque vetustiore quam qui a Sabatier editus
est. Cuius operis initio expressis verbis dicitur
Speculum compositum esse « ex quibusdam repertis
in scriptis sancti fratris Leonis, socii beati Francisci,
et allorum sociorum eius quae non sunt in legenda
communi ». Hoc opus promisit Lemmens se mox
editurum esse. Vides profecto, quam magni mo-
menti futura sit haec res, quamque magnam in ex-
pectationem omnes studiosos Franciscanarum lit-
terarum merito adducat; inde enim patebit utrum
in *Speculo* tantum quaerenda sit germana historia a
tribus sociis conscripta an simul cum *Speculo* in Le-
genda quoque nostra, quae quasi additamentum *Spe-
culi* habenda sit. Multum etiam spei habeo in eo libro
quem a Sabatier parari audio, cui titulus erit: *Les
sources de la Vie de saint François*, qui ut in prox-
imam lucem veniat vehementer exopto.

Utut est, perge, adolescens optime, his litteris
studiosa diligentia operam dare; nam praeter do-
ctrinam et delectationem, inde hauries etiam aedi-
cationem animi et rerum divinarum amorem; qui
fructus est laborum nostrorum optimus ceterisque
omnibus praeoptandus. Cura ut valeas.

CRUCIS HISTORIA⁽¹⁾

III.


CHRISTIANAE fidei artifices, signis quae hucusque
memoravimus haud contenti, ex Orientalium
gentium falsis religionibus formas interdum elegi-
runt, quae, veluti *soastika* Persis Indisque nota imago,
simulata licet facie, crucem referrent; quinimo non-
nullis recentioribus critices artis cultoribus ex his
arguere inconsulto placuit, cognationem quamdam ac
similitudinem inter Bouddhae Christique religiones
interesse. Quam autem in ipsa Crucis forma effi-
genda iam vidimus cautelam admovi, eam rigidissi-
mam fieri, si ipsius Crucifixi imaginem inquiramus,
ius est. Perarduum ferme christicolis artificibus non
sunt signum aliquod reperire quo Calvarii divinam
hostiam exhiberent; ideoque iunctis duobus satisque
iam notis signis, tridenti, quo Crux recolabatur, del-
phinus obvolutus est, qui Christum significaret.

Pulcherrimum huiusmodi specimen pariterque no-
tissimum in Callisti coemeterio prostat, ubi delphi-
num tridenti devinctum prope Eucharisticci convivii
parietale picturam videmus. Atqui piscis - graece
ix̄ - initiales litteras quinque continebat quibus si-
byllini versus Redemptorem denotaverant, ita ut so-
lemnem Christi signum semper habitus sit. Ex universis
autem piscibus non mirum ad rem proprius significan-
dam delphinum esse electum, praecipue ob Arionis
fabellam candidae mentis ephebi, atque ob receptam
passim apud veteres de marina hac bellua opinio-
nem, hominum nautarumque ipsam exstitisse amicis-
simam. Itaque in sepulcro quodam coemeterii iuxta
viam Nomentanam insculptum signum singulare re-
peritur delphinus, Christi figura, qui serpentem, Sa-
tanae imaginem, dentibus arripit.

Quod si, dum saeviit persecutorum rabies, tantam
circa extrellum Redemptionis facinus effingendum
circumpectionem adhibere placuit, de reliquis quo-
que gestis, quae sacrificium divinum praecesserunt,
eadem servata est ad unguem, illarumque rerum
nulla ad historiae tramitem efficta est unquam. Se-
mel enim, in Praetextati coemeterio, Dominicae Pas-
sionis eventum relatum vidimus, Iesum spinis coronatum;
sed christianus artifex quidquid cruentum vio-
lentum videretur ab opere prohibuit. Magistrum
effinxit amplio pallio vestitum regalique gressu, dum
miles quidam timido ore appropinquat, eiusque capi-
ti spineum ramulum reverenter admovit. Qua in re,
veluti et passim in similibus contigit, christianus ille
artifex non tam sese metuentem revelat, ne pag-
norum oculis dilectam sibi Redemptoris faciem sub-
iiciat, sed horrentem potius a doloribus obhobriisque
exprimendis illius, quem summo amore et religione
prosequetur.

Quare vel cum, ingenuis artibus adolescentibus
paceque Ecclesiae restituta, suavem hunc animorum
sensem hebescentem paulatim videmus, artificesque
huiusmodi cautelas, etsi nobilissimas, abiuentes, ve-
teris tamen repulsa vestigia non desunt. Iesu enim
cruci defixi imaginem, per prima restituta pacis
saecula, pictores sculptoresve christiani maximo stu-

(1) Cfr. num. sup.



dio vitarunt callidisque modis studuerunt, ut eius mysterium in memoriam revocarent, potiusquam oculis subiicerent. Ad imagines itaque et figurae ipsi quoque confugunt, eventusque prophetarum libentius effingunt, qui Christum vaticinati sunt, quam ipsam Christi mortem. Igitur et Abrahami sacrificium, et Danielis supplicium in leonum foveam deiecti referunt, quorum visu Crucis holocaustum commemorem; in terendum immo Crucem effingunt nonnullisque adiectis signis Divini Servatoris hostiam exprimunt.

Est exempli gratia parvum tertio saeculo exaratum monumentum, cuius in medio *Tau* graeca litera conspicitur: in recto literae hastili columba sistit, olivi ramulum ore retinens; imus autem agnus quiescit. Atqui tria haec simul iuncta, quid aliud significant praeter Christum crucifixum? Adest crux, agnus adest humanae Christi naturae symbolum, adest columba, quae divinam contra praebet, adest olivae ramulus, unctionis atque chrismatis signum, quo Christi hypostatica coniunctio exprimitur. Sed ab huiusmodi signorum nexibus Christum Crucis supplicio multatum fideli populo exhibentibus, novae artium ingenuarum formae paullatim exortae sunt.

(*Ad proximum numerum.*)

Ex ineditis MARIANI ARMELLINI.

DE SIBYLLIS

QUONIAM Fortuna, secunda lectoribus, offerre possumus Sibyllarum imagines, quas Bonarotius in sacello, quod Xystinum dicitur, mirabiliter depinxit, opera pretium est de Sibyllis aliquid in memoriam revocare tum dignitate argumenti, tum quoque temporis opportunitate. Atque illud in primis esto quod illius temporis artifices ferme divini, qui in Vaticano pingebant, sculpebant, aedificabant, aut similem hisce navabant operam, doctissimorum utebantur consilio et sapientia virorum, qui maxime tunc florebant, historicarum, theologicarum, philosophicarum rerum, humaniorumque litterarum peritissimi. Numquid Bembum, numquid Sadoletum, numquid sexcentos alias nomi-

nabat? Supervacaneum est, quod lectores non ignorant, hic scribere.

Hisce autem et consulentibus, et conciliantibus, et consultis factum est ut, quae tunc fiebant, singularem sibi scientiae et eruditio- nis apparatum singula ita referent, ut, quemadmodum de picturis Urbinatis in aedibus Vaticanis obiter fertur, mutato nomine illud Horatianum iure invertatur. Nam ubi ille iubebat «ut pictura poesis», hic apparet «poema integrum in unaquavis pictura»; brevius: est «poema pictura». Nec enim suspicari quidem recte possumus sua tan- tum sapientia virum unum, ceteroquin pictorem egregium, adolescentem tamen, nec viriles adhuc attingentem annos, novisse quidquid in theologia Pa- tres, in philosophia sapientes, in litteris oratores, historici, vates dixissent, et potuissent, et eos disposuisse in tabulis iuxta

roni aequalis recenset, quatuor sunt; quasi Aeliano potius acquiesceret, qui quatuor tantummodo enumera- tur.

Porro nomina patriamque singularum edicam iuxta opinionem, quae apud plurimos latior invaluit. *Persica*, seu *Chaldaea*, prior est, et idcirco hic sene- scens effingitur, Berosi filia illius, qui et historicus et sacerdos ad Beli Babylone fuit. Huic *Sambetha* - quasi «Dei Domus» - nomen, vigintiquatuor vati- ciniorum scribenti libros. Altera *Libyca*. Tertia *Delphi- ca*, cui promiscue nomina: *Daphne*, *Cartemide*, *Manto* tribuuntur. *Cumaea* ex Cuma Asiae proximioris. *Erythraea*, quae dicebatur: *Eriphiles*, et *Melanchraene*. *Samia*, de qua Samii Annales mentionem faciunt, et *Bitom* vocant. *Cumana*, seu *Italica*, ad Neapolim Cumis orta, quae *Amalthea* nuncupatur, quaeque, non longius abludente nomine, saep cum Asiatica Cumaea confunditur, nobis ingens Italicas nomen adepta est carminibus Vergilii immortale. *Helleponica*, Morpessii et incola et filia fuit in Troade, vivo adhuc Solone. *Phrygia* ex Ancyra. *Albunea* de- nique Tiburtina, Tarquinii Prisci tempore vaticinia- feras, Tiburisque seu advena, seu indigena, Horatio celebris, cui pulcra erant et

*Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis,
Et domus Albuneae resonantis.*


Cuius nos templum saepe invisi- mus ad Vestae amoeni Tiburis hospites, hospitesque clarissimorum virorum Gustavi S. R. E. Cardinalis Hohenlohe, et Ioannis Caroli Rossi. De hac autem duplex apud Tiburtes et plerosque doctos sententia; nam templum, illi sacrum, autumant illic erectum ubi et illius paterna domus et habitatio fuit, dum nonnullis placet asse- rere hanc, seu eamdem esse quae Erythraea, seu quae Cumaea nuncupata fuerat. Quidquid fuerit de origine et patria, venisse hanc in Urbem ad Tarquinium regem seniorem traditum est, attulisse vaticiniorum libros, obtulisse regi magno argenti pondere emendos. Abnuente rege, discessit; primaque tria vo- lumina dedit ignibus comburenda; reliqua sex re- diens eodem pretio venalia regi fecit; quae cum ille pariter negasset empturum, discessit iterum Sibylla,

ac tria credidi-
ditionibus que-
Qui tam novi-
cuniam iussit,
queruo conclu-
pitolini Iovis,
diendi traditi
octo postea,
fuere.

Anno ante-
Urbe condita
cum periissen-
Senatu, qui Si-
atque in unum
modo amissos
super afferrent
cilia eius gen-
gusto Octavia
facta recensio
vandi. Horum
Ciceronem, Ve-
apud Ecclesiae
sti 389 floruer-
hi postremi Si-
idololatras pro-
Christianas argu-
Prophetias Bib-
primebant. At
libros illos igno-
strorum.

Sed ad nos
Erythraea et C-
Quia ex Euse-
unguem in ora-
affertur mirabi-
Erythraeae Acr-
in summa lite-
STUS·DEI·FILI-
Divinatione co-
versus observa-
Non esse aute-

(1) *De Divin.*



ac tria creditis flammis, mox redditura, at primis conditionibus quae tria supererant datura Tarquinio. Qui tam nova re attonitus numerari foeminae pecuniam iussit, iussit acquiri. Libri vero, in comero querno conclusi, servati sunt religiose in templo Capitolini Iovis, duobusque integerim viris custodiendi traditi sunt, qui *duumviri* primum, additis octo postea, *decemviri* *sacris faciundis* appellati fuere.

Anno ante Christum quadragesimo octavo, ab Urbe condita 705, Capitolium flammis vastantibus cum perirent, legati quaquaversi missi sunt a Senatu, qui Sibyllina quaeque carmina colligerent, atque in unum redigerent. Quo factum est ut non modo amissos libros recuperarent, sed omnia insuper afferrent quae Sami, Delphini, Neapoli, in Sicilia eius generis essent. Maximo Pontifice Augusto Octaviano solemnis librorum Sibyllinorum facta recensio est, traditique quindecemviris asservandi. Horum est mentio aperta apud Varronem, Ciceronem, Vergilium, Dion. Halicarnasseum, atque apud Ecclesiae Doctores, qui usque ad annum Christi 389 floruerunt, quos inter ingens Eusebius; quippe hi postremi Sibyllarum testimonio utebantur contra idololatras pro divinitate Christi Iesu ac pro Religione Christiana argumenta instituentes. Ita porro Hebreos Prophetii Biblicis, Sibyllinis oraculis ethnicios opprimebant. At, imperio Theodosii Magni, Stilico libros illos igne perdidit; quod ego stulte factum iudico, et magno temporum damno ac maleficio nostrorum.

Sed ad nostra ut redeamus, in Xystino sacello Erythraea et Cumaea seniores curnam inducuntur? Quia ex Eusebio in *Vita Constantini Magni*, et ad unguem in oratione Imperatoris coram Senatu locus affertur mirabilis a Cicerone depromptus, qui, Sibyllae Erythraeae Acrostichidem reddens de Iudicio supremo, in summa litterarum primarum legebat: **I**ESUS · **C**HRISTUS · **D**EI · **F**ILIUS · **S**ERVATOR · **C**RUX. Quod in libro de Divinatione confirmans (1), haec habet: Sibyllae versus observamus, quos illa furens fuisse dicitur. Non esse autem illud carmen furentis tum ipsum

poema declarat; est enim magis artis ac diligentiae, quam incitationis et motus, tum vero ea quae acrostichis dicitur, cum deinceps ex primis cuiusque versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis. Atque in sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiae primis literis illius sententiae carmen omne praetexitur. Cumaea, cuius versus Vergilius in ecloga IV refert, divinitatem probat illius, quem futurum Iudicem Erythraea praemonebat. Delphica vero et Persica afferrunt tum de nominis Eius summa « Primum octo monades, totidem decadas super ipsas - Atque ecatontadas, etc. », tum de nativitate, de vita, ac de passione eius quia praedixissent. Bonarrotius igitur, Christum offerens Iudicem, Hominemque Deumque, Sibyllis depictis quasi totidem argumentis, ostendit ineluctabiliter et fuisse et futurum. Nam redit Augustini mirabilis et

in Sibyllas illa sententia: « Praedicta lege; impleta cerne; implenda collige ». G. P.

INSANIENTIS SAPIENTIAE PLACITA

AD EUGENIUM POLIDORUM S. L.

*Auditis? effert impia conscientia
Insanientis grex sapientiae...*
LEO XIII.

*Ruris amatores fauste salvare iubemus
Urbis amatorem. Rides, Polidore? quid unquam
Laetus aut dederit fors dulcius urbe Quirini,
Quam crux illustrat, victus cui subditur orbis?
Hic placidam tibi dat Numen vitam; hic tua puro
Pectora fonte bibunt, quae fundit dogmata Christus.
Religionis opes teneris tum mentibus additis
Adsiduus, fingisque simul quos sorte vocatos
Elegit Dominus pastorum munere fungi.
Haec inter doctis operosa volumina scriptor
Seadlus exornas calamus, quies iura tuoris
Divina in gentes, unam certamque salutis
Commonstrare viam cupiens, qua attingere portum
Securae valeant, Petro ducente carinam.
Fallaris, ab! totus, Polidore: est ludere tardum
Ars praeclera dolis vulgus; sapientia prima,
Pellere quae ignaris offudit nubila pridem
Caeca fides popularum animis. Haec ore profundo
Dicta canunt celsis cathedris repellita magistri.
Docti mecastor! quos ni vereare, profecto
Ingenio diceris iners crassaque minerva.
Corragas nares? prima ut teneas elementa
Sublimis sophiae, ausculta et sic collige mecum.
« Nullam rem et nihilo digni divinitus unquam » (1)
Hoc fixum atque ratum; arcano sed cuncta labore
Naturae, cui semper ineluctabilis insit
Vis, fieri; fato semper fierique necesse.
Quid Deus hic faciet, quem dicis? numquid ut Ipse
E nihilo educat res quas, mirantibus istis,*

*Non miranda satis genuit vis inclita casus?
Progenitis casu, sisstant ut ordine et inde
Vasti consurgat species pulcherrima mundi,
Num divina mente opus est? corpuscula pone
Innumera (has atomos dicunt) sine fine revolvi
Motibus aeternis, flexis spirisque, sinusque
Circitu obliqui: cur non quascunque figurae
Corporis haec demum accipient? hinc semina plantis
Fingentur variis, quas dicis corpora tandem:
Plasmate de primo sic ducta exordia cunctis.
« Nunc ea quae sentire videmus cunque necesse est
Ex insensilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare »: (1) gradus animalia cernis
Ex imo ad summum parvo discrimine sensim
Scandere: protozois succedit spongia, conchis
Rubra corallia, vermes tum foedi, arthropodumque
Invisum genus, et pisces, et reptile quidquid
Serpit humi, volucrumque cohors, et praedila mammis
Quaecunque incedunt; inter quae Simia primas
Obtinet, ohi! caput optatum nebulonibus istis.
Simia, prob scelus! orbata est cauda, manibusque
Et pedibus cecidere pili, debinc corpore toto;
Verbaque mox sonuere, prius quae gutture surdum
Rauco murmur erant: homo sic sapiens generatus!
Saecula bis dena effluxere voluta per orbem,
Ex quo plaudenti cecinit sua dicta popello
Versibus his geminis Lucretius: abdita rerum
Haec modo Darvinus laudant sociique reperta.
« Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur » (2).
Hoc erat in votis!. sane non carius ullum
Effatum recinas Epicuri de grege natis.
Contendunt timidas vana formidine mentes
Solvare, qua frustra vetulae terrentur: at ipsi
Forti sunt animo: hic plausus, hic gaudia quaerunt.
Serta rosis capiti cingunt; dispellere curas
Vina iuvant, validumque Chium annosumque Falernum.
Cur memorem hic magno quae effert Roussauvius ore,
Enarrans hominum saevos ab origine mores?*

(1) LUCRET. op. cit. II, 865 sq.

(2) LUCRET. op. cit. III, 828 sq.

(1) *De Divin. lib. II, § 86.*

(1) LUCRET. *De Rerum Nat. I, 151.*

Pugnabant armis quae post fabricaverat usus:
Donec verba quibus voces sensusque notarent
Nominaque invenere: debinc absistere bello,
Oppida coepérunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset, ne latro, ne quis adulter⁽¹⁾.
Fallor? an haec versutus noster Horatius olim
Dicere festivo ludens sermone solebat?

Nil sub sole novum aut mirum, Polidore; nec ullum
Inventum fatue veteres prompsere, quod ipsum
Nuperus haud recinat celebrati nominis auctor.
Si vero vacui tibi temporis otia dantur,
Et lubet astra super mecum volitare per auras,
Ne pigate me pone sequi; quod terra negavit,
Se forte aethereis occlusum nubibus abdit.
En docet ipse viam, clarum Germania sidus
Magna virūm altrix quod genuit doctissima tellus,
Kantius; excelsa hic nos ad fastigia ducet.
Phaenomenon tu cernis, ait, non noumena.—Quidnam
Hoc sibi vult? oro: deliramenta videris
Intentata loqui. — Verum spectare putabat
Rustica progenies oculis, et mente tenere.
Haud ita res habet: immo animos in imagine ludunt
Conflictæ rerum species simulacra que vana.
Num petis, an foris existat, quod pingitur intus?
Iam nodum in scirpo quaeris! tibi nonne videtur
Quod capite inclusum leneas satis esse superque?
Orbis terræ, homines, animantia, sidera, mundus
Totus ibi, mibi crede, latet; Deus ipse creans
Commentum est animi, mentis sunt Numina formæ.
Purum ego cuncta parit, « mutat quadrata rotundis,
Diruit, aedificat »⁽²⁾, sibimet contraria iungit.
Nobilis haec mecum Schellingus, Hegelius audent
Fichtius atque pater, toto clari orbe magistri.
Insanire putas, quae so, qui talia fantur?
Xenophanes Veliae lux, Zenon, Parmenidesque
Num ne rudes? quorum, fateor, vestigia pressi,
Pyrrhoneum referens, transcendentis scepticus ipse.

(1) HORAT. I, Sat. 3. (2) HORAT. I, Epist. I, 100

30]

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Loll. — Primum, ita fuit confusa oratio, ita implicata, tanta insolentia ac turba verborum, ut quid in re manifestissima dicere vellet non appareret. Absunt omnia, omnia redundant. Graculus enim sustulit pavonis pennas seque exornavit, affectans tullianam copiam, quae imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Deinde genus habet inusitatum, abhorrens ab exercitatio auribus, obscurum, ieiunum, vulgare, obsoletum. Inter multa, si bene memini, audivi: « in hoc scientiarum domicilio ». Iam vox « scientia », non ad ipsas cognitiones, sed ad hominem cognoscentem refertur. Itaque recte dixeris: « est illi scientia rerum plurimarum », quod idem sonat ac « ille scit plurima ». Erraveris autem dicens: « in Catoniano collegio, iuvenum ritu florent scientiae vigintque ». Quapropter si designare velis hanc vel illam seriem cognitionum ex certis principiis fluentem, quo sensu italicice saepe nominatur *scienza*, oportet his utaris verbis: « doctrina, disciplina ». Atque haec nimis mirum causa est cur vox « scientia » plurali numero perraro inveniatur⁽¹⁾.

Treb. — A quibus ista didicisti? Refer animum sis ad haec Tullii: « Sic persuasi mihi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tantæ scientiae »⁽²⁾. Vin amplius? « Si via illa nisi ab hac una arte traditur aut argumentorum aut scientiarum »⁽³⁾.

(1) V. GANDINUM: *Stile latino, etc.* sub voce « *Scienza* ». — A. CIMA: *Breve teoria dello stile latino*, § 20, n. 1.

(2) *De senect. XXI*, 78. (3) *II De orat. IX*, 36.

Sed nos, insueti ferri sublime volantes,
Repimus indocti. Puerum, Polidore, tenellum,
Qui modo vivificam primoribus attigit undam,
Quae fluit a Christo, labris, tentemus. — Utrumne
Dic, puer, est Deus in caelis qui cuncta creavit? —
— Nae, Deus est, inquit, qui me, qui cuncta creavit?
Cui servire meum officium est; quem, tempora vitæ
Post elapsa brevis, per cuncta ego saecla tenebo. —
Quanto reclius hic barbatis alta magistris
Promit verba puer, qui intelligit unde viator
Venerit in mundum, et rursus quo vivere tendat.
Quae si nosse neges, clara inter lumina caeco
Incedis gressu infelix, metaque recedis.
Noctua, bubo, stryx, ululae, vespertilio, vespertilio,
Cum primos mero tenebris immiserit orbi
Sol oriens radios, fugiunt crepitantibus alis,
Umbrosasque petunt latebras nigrasque cavernas:
Infirmas acies perstringunt fulgura solis.
Non secus avertunt oculos visusque reflectunt,
Lucifugi soboles patris, foeda agmina Ditis,
Ut primum alma Dei urbs sancto de monte reflusit.
Salve, præclarum nobis, Ecclesia mater,
Caelitus allatum munus, tibi nostra salutis
Spes fidit, tranquilli te duce navibus aequor
Mortalis vitae legimus portumque tenemus!

Scrib. in Collegio Stratensi kal. Mart. a. MCMI.

ALPHONSUS CERASOLI S. I.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano.

Accepimus, et libenter edimus:

In certamine poetico, de quo pronunciatum fuit in conventu Academiae Regiae Scientiarum Nederlandicæ d. xi m. Martii a. MDCCCI, præmium reportavit carmen incipitum *Patria Rura*; et obsignata scidula aperta, cognitum est nomen poetae Petri Helberti Damsté Leidensis.

Loll. — « Perraro », dixi; non dixi « nunquam ». Quae autem perraro occurrunt, ea si colligas ex ipso Tullio, facile orationem conflabis, non dicam invenustam, sed plane ridiculam. An vero « desiderationem » pro « desiderio » dixeris? Licit semel Ciceroni, concinnitatis causa, ubi « desiderationem » cum « tillatione » composuit, hoc modo: « At non est tanta “ tillatio ” in senibus: credo; sed ne “ desideratio ” quidem »⁽¹⁾. Concinnitatis, inquam, causa licuit; nam, « imperatum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa licet »⁽²⁾. Ergo, causa illa semota, peccatur. Huc etiam illud refertur Ciceronis motitum: « Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce »⁽³⁾. Quid quod alii censem, illud « tantæ scientiae » patrium casum esse singularis numeri, eumque pendere ab antecedente « tot artes », ita ut intelligi debat: tot artes, ad quarum scientiam acquirendam insudare oporteat; alii vero arbitrantur, ea non Ciceronis esse, sed interposita? Admonendi autem sunt audacieores, qui verba novant et faciunt ipsis, optimis scriptoribus inauditum esse vocabulum « scientificum »⁽³⁾.

Treb. — Num etiam « historicum » fastidis, quo utitur Cicer⁽⁴⁾, et alter ab illo Vallaurius?⁽⁵⁾

Loll. — Malo « historiae scriptorem », quia haec locutio fere usurpatu a Tullio. Redeo ad operarios latinitatis, celeri lingua magis praeditos, quam subtili iudicio, quorum sermo imperitus increbuit. Quaero autem qui sibi finixerint haec perridicula: *realis, moralis, intellectuallis, materialis, idealis, rationalismus, communismus*, et alias

(1) *De senect. XIV*, 47.

(2) *Orator*, XLVII, 157.

(3) V. A. CIMA, op. mem. § 31.

(4) *II De orat. XIV*, 59 — *Brut. § 286*.

(5) *Hist. cr. litter. latin. et alibi*.

Praeterea ex reliquis carminibus præ ceteris laude digna visa sunt quae sequuntur: *Moretum, Ad Sodales, De hodiernis Bacchanalibus, Bucentaurus, Ciceronis Epistula et Autumnales Feriae*. Haec carmina itidem legati Hoeufftiani sumptibus edentur, si poetae veniam dederint sci-dulas aperiendi.

Amstelodami.

C. B. SPRUYT
Acad. Reg. h. t. ab actis.

COMMUNIA VITÆ

De Paschalibus dapibus⁽¹⁾.

PEDIBUS forte ducentibus abiéramus, perque Forum Agonale, quasi famem obsonaturi, exleges ferebamur huc illuc, et Paschalibus sacrata diebus cibaria mente versabamus et oculis; nam coram erant, et ex aromatiorum officinis, ex cauponariis tabernis venalia prostabant. Fere communi consilio medium ante fontem in marmoreo sedili consedimus; monumentum quippe Berninianum illud allexerat oculos, et sequentia oculos mentemque corpora devinciebat, quamvis consideratum centies, iterum supra centies considerandum (2). Tum Forsex: — Salve, o qui dignus Urbe fons, in quo latentes allegoricæ imagines ipsa sunt arte maiores! Ecce in circuitu lacus ostendit Oceanum, cete, marino serpente, atque huiusmodi inhabitatum, ex quo, totidem distinctæ rupibus, quatuor emergunt plagae terrarum. Tum, ne quis erret, supra unaquaque rupe simulacrum ingens est ex marmore, princeps regionis flumen ostendens, cui respondent mirifice designantes locum belluae. Habet itaque Nilus, suas tunc temporis adhuc abscondens origines, velatum caput; habet in specu leonem sicutem; Ganges crocodilum; speciosum visu equum europaeus Rha; Amazonidum flumen anguum immensum. Praeter haec sculptæ sunt in rupibus propria cuiusvis fluminis germina, ita ut palma, Indica ficus, quae opuntia, ni fallor, appellatur, querni rami et similia satis indicent solum; quin etiam ipsae simulacrorum facies ostendunt Indum, Aegyptum,

(1) Cfr. num. sup.

(2) Vid. huius fontis figuram n. III, an. I.

huiusmodi delicias. Haec audere si licet, cur nefas erit e corpore deducere corporatram, e pectorale, e manu manescum, e brachio brachiantem, e negotio negotiantem, e liquore liquoristam, e latino latinistam?

Treb. — Graviter sane et probe; sed hoc a te, amice, impetratum velim, ut aequi bonique facias, si, ubi serviendum necessitatibus est, nativa romani oris elegancia desideretur. Scis, quam multa hodie sint nova cogitata, quam obscuræ abditaque sententiae, vix ut vernacula lingua significari queant. Quamobrem, aut negligenda nobis voluntas eorum, quibus probari cupimus, aut ars eius conciliandæ cum necessitate reperienda.

Loll. — « Nobis », inquam cum Tullio, « in scribendo atque in dicendo necessitatis excusatio non probatur »⁽¹⁾. Vitiosis enim, ut idem habet, nunquam oportet esse locum. Itaque iure M. Cato reprehendit A. Albinum, qui cum L. Lucullo consul fuit. Is Albinus, in primo historiae libro, quem de rebus Romanorum graeca oratione scripsit, quum veniam, si quid erratum esset, postulassem, quod natus in Latio usum græci sermonis minus expeditum haberet; « quis te, inquit Cato, impulit ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres ut ignoscatur? »⁽²⁾ Praeclare dicta, quae ad multis etiam nostrorum civium pertinent. Ecquis enim Arcadios istos coegerit barbaræ loqui, illata vi nobilissimæ linguae, cuius exquisita structura, vel ipso Catonis tempore, arti magis visa est apta, quam vitae?

Treb. — Te vero, Loll, quae necessitas impulit ad hos mecum sermones latine conferendos? Nonne italicice poteras planius ac melius?

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

(1) *Orat. LXIX*, 230.

(2) MACROB. *Saturn. I*, Praef. ad Eustathium fil.

Europaeum, tinet, coloss fronti specu Europa more defendi ad crescentia sa gyptius imp ramusculo arte allegori gregari, qua terrarum, et animos erigi innocentia d

— Optin interpretem 1 opportunitas, dolem, exstr ante exedri diebus detect etiam, ut can dumentur. Qu dignum' et fr

— Ego — mentum illic a vellem illic m per montem rum et fontiu rimam, Martia

Etego: — aquaeductum? In monte Ap tes, lacusque, gines, et quid confidere, scal Nonne Rom quantum opus

Sed no

extra viam nos pollicitus es ci tempore, Pas

— Sto pro vius issem, n egregium est lum quendam in more azym autem diem cu igitur credo, Ectionis die « sabbati » azym iamque vos vi nere tum in panem absque omne succidi culo, ad gland denda sunt si mae et gustus et butyrum et

— Cave omne, quod e fronte igitur a nisse? Si de a acquiescam, q de quo script ex eo », dum potius quam i stibus, alio, d ctim. At ubi Hebraicis hos

Tum Anic in re mention ferre. Dixi de non in specie desideras.

Notum est cum Christia cumcisionis. Q nemo iubebat

teris laude
ad Sodales,
nis Epistula
ati Hoeuff-
derint sci-

RUYT
t. ab actis.

(1).

que Forum
ges fereba-
aria mente
aromata-
lia prosta-
fontem in
uipe Ber-
culos men-
um centies,
um Forfex:
entes allego-
in circuitu-
ente, atque
actae rupi-
m, ne quis
ens est ex
is, cui re-
abat itaque
s origines,
n; Ganges
Rha; Ama-
ec sculptae
mina, ita ut
appellatur,
quin etiam
egyptium,

nefas erit
ctoralem, e
ctorio nego-
m?
te, amice,
ubi ser-
gantia de-
cogitata,
vernacula
eleginda
s, aut ars
scribendo
atur» (1).
se locum.
qui cum
historiae
one scri-
postulas-
is minus
ulit ut id
ignosce-
ti magis
mpulit ad
ne italice

LINI.

Europaeum, Americanum. Atque ad Europaeum quod attinet, colossus hic porrecto brachio sustinet haerens fronti specus Pontificis stemma, ut ostendat hunc in Europa morari, huius legem fidemque Europaeis armis defendi aduersus Turcas et Arabes, et Mongolos. Mox crescentia saxa convergent; et super arcu obeliscus aegyptius imponitur, cuius in culmine columba est olivae ramuscum rostro praefersen. Nonne longe pulchrior ipsa arte allegoria, quae ostendit in christiana religione congregari, quasi unum populum, quatuor diversas partes orbis terrarum, et, conspirantibus hisce ad obsequium Christi, animos erigi caritate in caelum, quod ubi fiat, pax et innocentia dominabuntur?

— Optime, Forfex — conclamavimus omnes — teque interpretem laurea donabimus Apollinari! Sed quum sit opportunitas, quid, architectorum nostrorum sequitus in dolem, exstrueres in fonte aquae Piae, olim Martii rivi, ante exedrum Diocletianum? Nam signa illa aenea, his diebus detecta, non modo ob morum iniuriam, sed artis etiam, ut candide aperteque fateamur, omnino reiiciendi videntur. Quod igitur monumentum illic erigeres Urbe dignum' et fraternis monumentis aequum?

— Ego — inquit Forfex — difficultimum factu monumentum illic aedificandum censeo; sed, si mihi optio daretur, vellem illic montem, cui assideret ingens Apenninus Pater; per montem vero varia praecipuorum simulacra fluviorum et fontium. Naiadum autem unam eamque pulcherimam, Martiam, quam Anio Romae concedit habendam...

Etego: — Poneresne Temporis simulacrum percutientis aqueductum? Poneresne recentiores, qui redintegrarunt? In monte Apennino praeterea quot aquarum rivuli, fontes, lacusque, et lympharum saltus, et exsilientes scaturientes, et quidquid Berninius recens posset imaginatione confidere, scalpro efficere, Minerva propitia perficere? Nonne Romana urbe, historia, et fama dignus fons? At quantum opus! Quamvis quanta laus!

— Sed non erat hic locus. — Sic Forfex aegre ferens extra viam nos abire. — Anici, ne obliscaris eorum, quae pollicitus es circa cibos, qui Paschales dicuntur et Paschali tempore, Paschali gaudio absumentur.

— Sto promissis — respondit Anicus — neque devius issem, nisi vos hic me constitissetis; nam quod egregium est abripit animum. Ne vero commentariolum quedam meum consulam, scitis vos Hebraeis fuisse in more azymis et agno celebrare Pascha; Resurrectionis autem diem cum diebus Paschalibus convenire. Primum igitur credo, Hierosolymis praesertim, redeunte Resurrectionis die «vespere sabbati, quae luccescit in prima sabbati» azymis celebratum et agno diem. Inde mos; iamque vos videtis hisce in diebus principem locum tenere tum in ientaculo, tum in prandio, tum in coena panem absque fermento, collyram, ova solida igne, atque omne succidiae genus a farcimine et lucanica, et tomaculo, ad glandionidem, et sumen et pernam. Quibus addenda sunt siqua sunt lacticina ad caseum cuiusvis formae et gustus et nominis ad iunculum, et secundarium, et butyrum et cremum.

— Cave a fovea! — exclamat Forfex. — Hebraeis omne, quod e succidiis enumerasti, in usu non erat; qua fronte igitur dicis hunc morem a Iudeis in nos devenis? Si de azymis, si de collyris, de placentis agatur, acquiescam, quamvis aliquid esset de agno dicendum, de quo scriptum praecepero erat: «os non comminuetis ex eo», dum nos agnum paschalem in deliciis habemus, potius quam integrum assum igni, et cum lactucis agrestibus, alio, diversoque longe ritu, comminutum et coctum. At ubi de suillis carnibus ista cantaveris, et ab Hebraeis hosce mores retuleris, non consentiam.

Tum Anicus: — Te miror, Forfex, quorum non feci in re mentionem, eorum in me leges et referre et afferre. Dixi de Paschalibus dapibus in genere, in summa, non in specie, nec in singulis. Venio igitur ad ea, quae desideras.

Notum est in ipso Ecclesiae nascentis exordio maximum Christianorum numerum erutum fuisse e filiis circumcisio. Quia vero «ubi Spiritus Domini, ibi libertas», nemo iubebat eos abstinere a succidiis, at nemo pariter

iubebat iis uti. Plures, morem gerentes religioni Mosai- cae, cui assueverant, cibis illis et suffocato et sanguine non utabantur; at postquam de re actum est, perorante Paulo, post fatale illud: «quia repellitis verbum Dei, ecco convertimur ad Gentes», aliquid fere non christianum visum est haerere caeremoniis abrogatae legis, et synagogae quae Christum occiderat. Hinc ipso in Resurrectionis die potuit videri ad reprobationem Iudaicae pertinacie usus ille succidiarum. Adde insuper olim quadragesimale ieunium, etsi circa quantitatem cibi, solutum quavis dominica die, circa qualitatem, quae carnes a comedione excludebat, integrum summa religione servatum, nec fas exiguum quidquam carnis quadragesima tota contingere. Hinc nil mirum si in Paschali laetitia et libertate primum obtineret locum omnia e suillis, quae in carnario tanto tempore continebantur; hinc prae- cipuus cibus e minutali, quod conficitur ex agni carnibus ovo fracto et commixto cum succo citri, quia expeditior; hinc verveci potius quam bove ius et elixum, quia magis, coquinariae praeparationi obtemperantes, maturabant ientaculum fideles, qui e nocturna vigilia sabbati mane summo domum famelici redibant. Istane vobis, o sodes, sufficient?

— Sufficiunt equidem; sed perge dicturus de ceteris. — Cetera — prosequutus est Anicus — brevi comprehendam; nam omnia reducuntur ad placentas, quibus fermentum supponatur, vel minus Ego credo azymas collyras fuisse exclusas, quia stomacho duriores, et eorum in locum illas subditas, quibus nunc utimur, quaeque diversae sunt iuxta loca diversa; cibus enim aptatur iuxta caeli solique temperiem, conditionesque gentium, quae caelum spirant, solum incolunt. Idque indicatum, monitumque; quin etiam imperatum credo partim experientia, partim natura, quae duriores cibos, et in stomacho diutius duraturos regionibus frigidioribus dedit, lenes levioresque et palato blandientes aromate, sapore dedit calidioribus terris. Hinc alia Siculus, Hispanus, Maurus edunt, alia Alpium incola, Helveticus, Suevus, Siberianus; et aliis est cibi modus Mexicano, alias polari Canadensi, aut Alaskino. Ciborum itaque Paschalium summa est in collyris, in placentis, in torundis, in farriculis, in coliphis, quae conficiuntur electo polline fermento immixto, quibus, ubi concreverint, additur saccarum, oleum, anisa, cinnamomum, ova collisa, aromata quaevis a coriandris ad muscas nuces, et amygdalina quaelibet ad avellanias, ad pineos nucleos, et salgama pinea, medicea, citrina, cydonia. Quae ubi commixta manu potenti versataque diu fuerint, iterum fermento, uti crescant, creduntur. Post haec autem in testa, sive in ferreis aut cupris vasibus, stamno tamen bene velatis, et oleo seu butyro oblinitis, massa reponitur, et coquenda clybano traditur. De forma et figura placentarum non dicam; sunt enim qui torundas integris conscriptas ovis, sunt qui agnos, qui caballos, qui pueros, qui pueras, qui gallos, qui gallinas effingere student, frustra perstreptibus Phidia et Canova; quibus tamen insigne et Paschale est, ut ovum in ventre gerant, clybani aestu una cum massa coquendum.

Et aliud est cibi genus in quibusdam buccellis, ducta in chartae speciem massa panis, qua involvitur aliquantulum secundarii casei omnibus iucunditatibus deliciisque gulae aromatisbusque odorum et sapidum, quod in clybanum...

— Agesis — dixi — redeamus illaturi in os aliquid ex quadragesimalibus escis, quas iussimus, quia tua ista, movent me quippe, sed non explet phantasmate.

Itaque ituri surreximus.

H. DE VECCHI PIERALICE.

EX AMERICIS

De rebus civilibus varia.

QUAENAM heic, labentibus diëbus, peraguntur, curiosi ex me querunt. Eia igitur in hasce regiones coniuncte oculos. Quae astutia gubernis propria in Europa est, eam et heic detegitis. Iterum tertiumque dictabant, se bellum in Cubam humanitatis causa intulisse, sed so-

briis viris persuasum erat, bellum minus humanitatis gratia, quam eo esse indictum, ut Cuba, expulsis Hispanis, foederatae reipublicae adiungeretur; in promptu enim erat, quantum Cuba Americae adiuncta valoret. Quo tandem cognito, Cubani minis armisque tenebant Americanos, ut a sua demum discederent insula. Quibus optatis iam cedere videntur Americani, postquam varias Americae gratas pepigere conditions, scilicet ut sibi interveniendi ius esset, ne unquam Cuba in Europaeorum potestatem redigeretur, et ut nonnullae ad petendos carbones sibi praesto essent stationes.

Philippinis in insulis bellum permultis Americanis exosum nondum est extinctum; quid proinde eventurum sit tempus docebit (1). Nec id omittendum censeo, quod thauri minister Gage permagni portorum sacrificio a Russia importato imposuit. Qua re commotus Russi magno portario plus minusve cohident quominus ferrum americanum in Russiam facile inferatur. Quod plures huius reipublicae Illinois societas ferrarias tali tantoque affecit damno, ut gravissimis verbis gubernium obtestentur, ut abrogato iniquo portorio, liberum denuo pateat commercium.

Fama iam percrebret, fore, ut Gage, imprudens ille minister, suo amoreatur munere.

Porro hisce in terris nonnunquam eveniunt res, quae si in Europa acciderent, ridicula haberentur. Inter omnes quidem constat, ebrietatem maxime his in regionibus infandum multorum esse exitum. Plures igitur Americani, quum cuilibet temeto acerrimum indexerint bellum, abstinentiae magis, quam temperantiae consulunt. Itaque et in republica Kansas severa lata est lex, ne ullae incolis pateant cauponae.

Res quamvis ita se habeant, sunt tamen qui, lege penitus contempta, cauponas adeuntibus praebant, et ideo unoquoque anno constitutam impendant mulctam. Quum igitur lex ridicula evaserit, Carrie Nation quedam foemina, acri animo atque procaci, sibi persuadet, se omnes, quae in republica sint, cauponas posse delere. Coactis igitur multis, quae eodem animo erant, foemini, ferox matrona exiges admonuit caupones, ut, relicto sordido negotio, legi tandem morem gererent. Caupones vero nil periculi timentes rem pro nihilo habuere. Quo factum est, ut matrona illa intensiore furore agitata se suasque asseclas *ascis* armaret et acie instructa primam quamque cauponam adoriretur. Stupent quidem caupones, insciit quid per Iovem eveniat: sed illa dux, nescio qua rabie ducta, in cauponam non tam intrare, quam irruere, fenestrar, vitrea pocula, specula in minimas confringere partes, omnia vi diruere antequam caupones stupore immoti perspectus habeant, quid peragatur. Brevi mora magnus fit plebis concursus, adveniuntque publici custodes, qui pugnacem mulierem in carcere coniuncti, sed interposito liberata vadimonio, singulare delendi opus denuo audax aggreditur.

Tota civitas rei novitate perculta foeminae intrepidae magnopere applaudit eamque ad caelum usque tollit, dum pauci eam diris devoteant.

Huiusmodi res in urbibus Topeka et Wichita peractae sunt, quinimo bellatrix illa, quae iam in omnium ore erat, in hanc ipsam profecta est urbem, ut temulentos compesceret mores. Paucis tamen post diebus quum in rempublicam Kansasensem reversa esset, in carcere connecta captivam adhuc degit vitam.

Praeterea in urbe Leavenworth, quae in republica Kansasensi sita est, et in urbe Terre Haute, quam agri reipublicae Indianensis circumdant, inhumana perpetrata sunt facinora. Duo enim nigri coloris viri mulierculis vim inferre tentaverunt, sed statim comprehensi sine mora connecti sunt in carcere. Quod nefarium factum ubi primum innotuit, plebs ulciscendi ira inflammat, carcere per vim effracto, reos a legitimo iudicio eruptos suo brevi more iudicant, et damnatos ephrenetici atque effrenati comburunt. In urbe tamen Terre Haute virum non vivum, sed iam necatum ignis consumpsit. Heu! quis efferas hominum cupiditates refrenet?

Ad hoc adiicere praestat, vos a me in id, quod Uro-

(1) Docuit sane; cfr. huius numeri *Annales* — v. u.

CENSIO

esercizi latini per
dedit Dantes Grossi,

I, grammaticam lin-
iminello elaboratam
xime, quod singula
scriptorum, sed ex
ificatione, hoc est ex
em ratione et via
sunt, quod opus in
e et alterius scholae
piae sunt brevitas,
iae plurimum con-
summa praecepto-
regulae. Quare mi-
i di latinis litteris
osi adolescentes sint

P. A.

MERUM

Athenaeis. — « Ty-
apud antiquos. —
mores, etc.

A
de perorno
ine claros
ere trophaea.

mma secundum.

H. GUEPIN.
atis interpreta-
m miserint intra
s accipiet opus,

A
eriana).

his respondent:
olum.

G. Schenz, Ratis-
nes Collegium, Mo-
Stella - B. Van-
dello - Princ. Gor-
ice, Neapoli - I. G.
ajitis, Opitoloiki -
lano - Ad. Huza,
d. Guepin, S. Do-
mena - I. Walter,
Pancaro, Consentia
societas philologica

ONE

iurisperitus.

occi.

PER ORBEM

VER novum ut felicibus auspiciemur feris, Be-
rolinum petamus ibique in Victoriarum via
trium monumentorum inaugurationi adsimus,
quae Borussica gens Wilhelmo I, Friderico I at
que Wilhelmo II imperatoribus suis posuit. Binae
cuique monumento effigies adiectae, selectorum
virorum in honorem, qui suam cuiusque impe-
ratoris aetatem maximis facinoribus illustrarunt,
inter quos Bismarckii et Moltke, quorum filii vel
cognati pompa sunt participes.



Sed ex tantis Borussici, fortissimi imperii, mi-
litariis solemnibus ad exigua, eaque pacifica et
iucunda et domestica quae Sancti Marini in ita-
lica republica habita sunt, arridet transitus. Novi
republicae consules munus sibi commissum ad-
eunt, atque, ut fert mos antiquissimae republicae,
quae a patrum religione nunquam discessit, in
templo primum novum officium coram Deo, mox
in municipum aedibus suscipiunt.



Ceterum externi nunci non eamdem redolu-
ent ubique pacem. Birmingham, in Alabama
Americana nordica regione, procella immanis
vastavit, cives multos ruinis interfecit. In Texas
republica Wilspoint provincia eadem passa est.
Mox in Europa Bellogradi et Budae cives et fi-
nitimos terraemotus minae deterruerunt: Tridenti-
tina litora pluviae infinitae ita inundarunt, ut ex
terrarium avulsionibus ruinas multas non sine
clade incolae lugeant. Haec cumulat pestifera
lues, quae in ultima Africæ fronte saevit. Morbi
autem duplex genus: aliud quod pallidis atrisse
maculis, in pectore praesertim eminentibus, sese
pandit, alterum quod repentinae pustulae in lin-
guia aperunt, quae citissime guttur invadunt ac
brevi aegrotum suffocant. Clade pessima Anglii
belli mala nova crudelitate ingravescunt.



Incendia in Sinis praecipue saevierunt; gra-
vissimum quod his diebus Yamen, aedes admini-
strorum, quas Itali milites occupaverant, inop-
nato exarsit. Vigilum Sinensium cohortes occur-
rerunt ad flammas extinguedas maximo, immo-
nimio numero, siquidem eorum vexillorum paene
millia adnumerarentur. Ignorabam antea, fateor,
novum hunc vexillorum usum ad ignem restin-
guendum; quod tamen valde efficax minime vi-
detur, si brevi nihil reliquum omnium aedificiorum
nisi fumantes cineres fuerunt. Ea inter bi-
bliothecam insignem in Mongolica urbe Mukden
Russi diripuerunt. Petropolim currus duo missi
libris referti antiquissimis non tam sinensibus char-
acteribus descriptis, quam etiam graecis atque slav-
is. Quare consilium praevaluit, eos, potiusquam
Vladivostok, ad urbem imperii caput mittere, ut
disciplinarum magnam bibliothecam ditarent.



Sed ad ignitam vim redeamus; eamque ab
Iberis in Hispanensi provincia excitatam. Qui
enam ad Motril sacchari elaborandi opificium in-
serviebant operarii desertionem inierunt, ut mer-
cis pretium invitum dominis augeretur. Quapropter
perquam opportunum et aptissimum consilium
visum fratrum cognomine Larios opificium
ad saccharum expurgandum conficiendumque
flammis tradere. Pulcre equidem, bene, recte!...
Ita quae in Andalusiae provincia maxima huius-
modi officina erat, eam ignis voravit, et operariorum
iura sunt adfirmata!...

Ut denique tristi huic enumerationi finem im-
ponam, dicam Americanos ignis rabiem graviter

in Sancti Aloisii urbe, quae Missouri provinciae
caput est, sensisse, et Cavite in porta *Petrel* balli-
stariam navem eadem causa esse confectam, fu-
moque et calore illius praefectum suffocatum.



Attamen navales res, unae forte, erigunt aliquantulum oppressum animum. In arcticum polum
inque antarcticum simul scientiae amor homines
impellit, novaeque expeditiones parantur. Iunio
mense Haphnia, ex urbe Danorum capite, Nor-
vegi atque Americani nautae, Welan duce, Fran-
cisci Iosephi terram versus vela solvent, indeque
in polum. Dundee, in Scotorum portu, Baldwin
centurio aemulas suas vires copiasque parat. Sed
ex Kiel *Ganz* navis, quae ad antarcticum polum
explorandum exstructa est, iam aquas magna sole-
mnitate est ingressa; nomen autem, Wilhelmo
Caesare auctore, ei datum quia *Ganz*, ille ma-
theseos celeberrimus cultor, primus fuit, qui an-
tarcticum polum explorandum proposuerit.

Tot audacissimis viatoribus in glaciei deserta
proficiscentibus, faustiora adprecor, quam quae
mihi bimensile per excutas civitates iter ex-
plenti occurrere assolent!

VIATOR

VARIA

Divinatio per chartas lusoriae.

Chartomantiam vocant, quam ad lusum inter-
dum, in conventibus vespertinis, inducere solent,
qua tamen nonnulli, qui se magicis artibus uti
affirmant, quasi cum potestatibus tartareis foedus
inierint, ad decipiendos simplicium, credulorumque
animos utuntur. Plures sunt scitandi ritus.
Ille primus, quo quadraginta chartae lusoriae
cum misceantur, qui futura sibi velit addiscere
numerum quemdam mente concipiat; puta: se-
ptem. Tunc singulae numerantur trahunturque
chartae, et quaeque septima disponitur seorsim,
idque toties donec duodecim dispositae in mensa
sint, iterum dum colliguntur, et miscentur et
disponuntur quae superfuerunt, sacro illo septimo
numero devinctae. Lepidum saepe fit, ut in casu
fiat necesse est, responsum, lepidum praesertim
si aliquid subveniat indicatum quod factu im-
possible sit, puta si septuagenario homini dic-
cant: ad sexagesimum annum vives. At qui loci
magister est, chartasque versat ac interpretatur,
e difficultatibus hisce se facile expediet, vel ad
risum excitandum alias et facile commovebit,
praesertim si in coetu sint iuvenes, quorum aliquo modo, vel referente amico, facta perspexerit,
ac desideria sciatur. Plures, ut superius dixi, loci
huius ritus, quos inter est princeps divisio char-
tarum trifariam; quarum primus cumulus dabit
quid interrogans rogat, alter quid de familia
eius futurum sit, tertius improvisum aliquid
inxpectatumque. Sed haec superflua; satis fuit
per summa capita totum indicasse.



A quo Americae nomen?

Credidimus ad haec usque tempora Ameri-
gum Vespucci Americae ex proprio dedisse no-
men. Qui Christophoro reperto primo se sub-
dens apud plures et pluribus non carete infamia,
fraude saltem videbatur. Nunc Iulius Moreau rem
ad trutinam vocans aperte ostendit nomen hoc
non ex Amerigo, sed ex regione tota quanta est
inter montosa Suigalba ac Libertad in Nic-
aragua desumptum, quippe incolae, huius loci abo-
rigines, cum rogati essent de nomine regionis
a Columbus ipso, qui Indiam se invenisse arbit-

trabatur, Americam esse dixerint. Qua de re
nomen integrum repertae regionis Christophorus
in epistola ad Ferdinandum Hispanae regem
Aragonensem transmisit. Hylacomylus librarius,
qui scripta Amerigi Vespucci perlegerat, librum
de nova illa orbis terrarum parte conficiens et
vulgans, ex proximitate literarum autumavit ex
Amerigo nomen venisse. Tota mox in Germania
invaluit opinio, quae in geographicō Hylacomylī
libro continebatur. Ceterum Vespuccius non
Amerigus sed Albericus vocabatur, quod nomen
Hylacomylus idem in Almericum, Germanis
comune nomen, detorsit.

America igitur, non Italorum, non Hispano-
rum, non Columbi arbitrio nuncupata est, sed
nomen retinet, quo ante a gaudebat proprio et
antiquo. Hoc unum, quod e parte transivit in
totum, unice quia pars, tali insignis nomine,
primum reperta fuit.



Quid de humano genere XXI° saeculo?

En; chimici, abolitis cibis, nutrient homines
tabellulis *peptone* confectis; birotae communem
in usum inventae nonnulla membra exercentes,
quiescentibus reliquis, modum et augmentum
ingerant necesse est in ea, quae exercent, *atrophiam*,
ut aiunt medici, et exiguitatem in ea,
quae inertiae derelinquent ac deserunt. Hinc vir-
doctus, si qua de futuris prudenti doctrina sit,
ista praenuntiat: « Birotarum abusu xxI saeculo
crura, coxae, inferiora denique membra omnia
protrahentur atque concrecent, dorsum incur-
vabitur, stomacho praesertim ad minima spatia
redacto; forsitan brachia mole perseverabunt uti
sunt, certe tamen debiliora praesentibus; caput
augebitur, et aliquid ostendet, si prospiciatur obli-
quum, quod triangulo aequilatero non absimile
videatur; vigesimo etatris anno omnes calvi;
decimoquinto edentuli omnes, dentes enim inuti-
iles; nasus apparebit enormis, immutata facie
proportione; aures extra modum longiores la-
tioresque... Quid plura? Assuetis iam oculis
novo huic hominum vultui Apollo ille Vatica-
nus, et caelestes Urbinatis imagines quasi mon-
stra videbuntur, quasi pertinentia ad genus pra-
adamitarum ». O fortunati, qui tantam, tamque
ingratam commutationem profecto non vide-
bimus!



Tribus diebus Atlanticum praetermissum.

Grant, eruditus vir, in athenaeo Reginæ,
apud Kingston, magister, haec proponit. Sit iter
a Galway portu in Hibernia ad portum Green in
Terra-Nova. Sit cuniculus submarinus a Scotia
in Hiberniam. A portu Green ad Americana li-
tora brevis pelagi tractus. Ita tribus diebus recto
itinere confectum erit opus. Non negamus et
posse, et fieri, et futura; at si quae ex electride
exspectamus, et iam a Germania sonant, futura
suerint, fortasse praestantiora videbimus.



Ioci.

Pepitus filium habet litteris inimicum, quem
tamen quotidie verberibus in scholam agit. Ma-
gister accipit, atque a colaphis paternis interdum
defendit. Cum postea hortaretur ut litteris daret
operam, ne asinus diceretur, et docilis et bo-
nus nomini suo responderet (Agnellus nomen
erat puer): — Atqui — inquit Agnellus — si
tu scires, me asinum esse velles. — Ut quid?
— Quia pater meus saepe furatur agnellos et
occidit, et coquit; asinum, quem domi habemus,
nunquam occidit. Vivam asinus.

P. d. V.

* FIDES *

quod musicum organum

STRADIVARIUS

CREMONENSIMUM ARTIFEX CELEBERRIMUS

CONFECIT

Romae veneunt.

Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE
IUBILAEI ANNI MCM ad universam Ecclesiam
proposita in commodum confessariorum a THOMA ARIZ-
ZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poenitentia-
riae officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates quas Summus Pontifex
concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur praecipuos casus qui in Iubilaeo proponuntur. Responsa sacrae Poenitentiae, etiam recens data, quae opus fuit memorare, memorantur.
Accedunt Constitutio pontifica super extensione Iubilaei et, maxima ex parte, Monita ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu facultatum confessariis tributarum excerpta.

Opusculum venit lib. 0.50 apud comm. Vox Urbis administratorem, Romae, via Alessandrina, 87.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS
TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE
ROMAE = Via Sistina, 129 = ROMAE

LIBER (vulgo "ALBUM")
praecipua Urbis referens, pulcritudine insignis atque, commentarii Vox Urbis moderatore iubente, expresse conflatus, apud eundem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

FIGURAE URBIS ROMAE
ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS
(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

LE LAUDI LATINE
E
IL CANTICO DEL SOLE
DI
SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latine cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa Speculi perfectionis capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequentur ad parvam Bibliothecam Franciscanam comparandam, Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edit cura. Romae apud commentarii Vox Urbis Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

VOX URBIS DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
SOCIIS MONITUM ROMAE - Via Alessandrina, 87.

In memoriam sociorum revocamus, cuique eorum, qui chartulam ad hoc acceptam remiserit suo ac duorum e sociis novis subscriptam nominibus, pro duobus tantummodo commentarii exemplaribus solvendum pretium; tertium dono datum iri.

Pretium annuae subnotationis comm. "Vox Urbis" vid. in prima opereuli pagina.